

Aliquot Cornelii Nepotis loci recensentur.

Themist. 6, 2 *negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi*. Argutantur viri docti, *urbs habetur* posse latine significare rati: locus est moenibus circumdatus. Quicquid eruas, ex Cod. Leid. legendum esse *ullam urbem muros habere*, convincit plurimorum Codd. lectio *habere*, iuxta quod negligentia omissum est *muros*, maximeque verba Thucydidis I, 90 *μητε ἄλλον μηδὲνα τεῖχος ἔχοντα*, quem noster hic expressit, ut locis aliis permultis. Omissa semel voce *muros*, oriri oportuit *haberi*; unde mira lectionis vulgatae latinitas nata est, quae omnino defendi non potest, nisi ab iis, qui omnia modo defendere, modo aliis in locis omnia vituperare volunt, pro animi natura. Rectissime, ut verbo dicam, de loci ratione disputavit Mosche, cujus integram adnotationem transcribere nolo. Quum Nepos toties ad Thucydidis auctoritatem provocet, tam in ipsa Themistoclis vita (cap. 1, 4 et 9, 1 et 10, 4), quam aliorum (Pausan. 2, 2. Alcib. 11, 1), quumque verbis eius latine reddendis delectetur, cur tandem, ipsa re clamante, hoc loco ad idem illud exemplum eum respexisse negemus? Alia certe ratio est Pausan. 5, 5 *et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus*. Ubi scripti et editi libri ad unum omnes *procul* exhibent, Bremius tamen, Bosio praecunte, pluribus ex Thucydide reponendum contendit *non procul*. Thucyd. I, 134 *ἔδοξε πλεσιόν που κατορύξαι* i. e.

loco aliquo propinquo, qui ad sepeliendum aptus erat. Commode et accurate Nepos vertit *procul ab loco moriendi*. qua eadem prorsus latinitate et significatione idem Nepos Them. 8, 7 *procul ab insula*. Adde Liv. 37, 53 *procul ab domo*. Cic. de Rep. post init. *procul ab aetatis huius memoria*.

Themist. 10, 4. *Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus; staturae in foro Magnesiae*. Incommoda est huius sententiae positio: mala ad latinam sententiarum iuncturam; pergi enim vix ac ne vix quidem potest *De cuius morte*: mala etiam ad rerum narratarum seriem. Quamobrem totum locum, qui de Themistoclis monumentis agit, loco movendum et extremae Vitae suffigendum censeo. Aptissimo ordine sic omnia procedunt. Desumpta res ex Thucydide est, ut Nepos ipsis verbis fatetur. Thucydides (I, 138) autem: *νοσήσας δὲ τελευτᾷ τὸν βίον. Λέγουσι δὲ τινες* cct. *ἐν τῇ ἀγορᾷ. Τὰ δὲ ὄστᾳ φασι* cct. *φένγοντος*. *Sepulcrum* ex alio fonte huc migravit. Plutarchus Themist. c. 51 eodem quo Thucydides ordine: »Pollicita exsequi contemnens veneno sumto Magnesiae extinctus est. Et (c. 52) *τάφρον αὐτοῦ λαμπρόν* in foro Magnetes moliti sunt. Diodorus Periegetes (addit inferius) nominat eius prope Piraeum *βωμοειδὲς τάφος*, provocatque ad versus Platonis comici. De quo eodem sepulcro cf. Pausan. Attic. p. 3. Facta, quam proposuimus, transpositione etiam ipsis verbis lux affunditur; et ob factam iam in praecedentibus Atticae mentionem in dubio non amplius relinquitur, quin *prope oppidum* sit prope Athenas. Certe Cornelius Nepos hoc ordine narraverat. At vero, obiiciet aliquis, Aemilius Probus, vel quisquis fuit, qui mutilum nobis Nepotem reliquit, rerum seriem turbavit, idemque nobis omne restituendi et transponendi ius ademit! Concesserim: tum vero ne tentes etiam verba *in quo est sepultus*; nam ista quoque sunt Probi. Bremius ex-

plodit. Cornelius certe, facta iam Themistoclis in Attica sepulti mentione, non opus habuit ista lacinia: Probo autem, confundenti rerum seriem, necessaria ea videbantur, quoniam videlicet de sepeliendo nondum quidquam praecesserat. Desinas porro cerebrum discruciare de locis his: Them. 1, 4. *Nulla res maior sine eo gerebatur, celeriterque quae opus erant reperiebat; neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis erat, quod et de instantibus (ut ait Thucydides) verissime iudicabat et de futuris callidissime coniciebat.* Epam. 3, 1. *Ad hanc corporis firmitatem plurima etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut ne ioco quidem mentiretur.* Alcib. 1, 3. *Disertus — ut nemo ei dicendo posset resistere; dives; quum tempus posceret laboriosus, patiens; liberalis cet.* Primo enim loco, quicquid viri docti extorqueant, Cornelius scripserat: *celeriterque — reperiebat, quod et de instant. — coniciebat; neque minus — erat,* auctore Thucydide (I, 138), ut recte iudicarunt Buchnerus et Graevius. Thucydides, depingens quippe ingenii praestantiam Themistoclis, sententia *neque minus — erat caruit;* Cornelium autem, fortitudinem quoque in rebus manu gerendis docturum, quis credat, hanc Thucydidis sententiis, quarum capita reddit, interiecisse? Optime contra characterem ista sententia concludit. Secundo loco Bremius verba *fortis manu* a librario inculcata putat; Lambinus ante ea versum imprudenti scriptori excidisse adnotat. Tertio loco pro *dives* Bremius excogitavit *diligens;* Lambinus, qui in nonnullis Mss. viderat *deinde,* corrigit *idem;* alius, nescio quis, scite coniecit *dicens* hoc nexu: *ut nemo — posset resistere dicens.* At fuit Epaminondas fortis manu, fuit Alcibiades dives. Quare non est, quod amplius dubites, Cornelium utrumque expressisse, posteriorem autem hominem, qui **correptum** misereque saepe adfectum scriptorem manibus

nostris tradidit, omnia loco suo movisse et pro arbitrio sua-
que prudentia disposuisse.

Alcib. 7, 3. *Itaque huic maxime putamus malo fuisse
nimiam opinionem ingenii atque virtutis.* Ita ed. Ultraiec-
tina, et post Lambinum vulgatae. Libri scripti fere omnes
legunt *imputamus*, et plurimi post *malo* inserunt *causam*.
Iure merito dicere aliquis possit, *causam* interpolatum fuisse
ex interpretatione vocis *maxime* hac: »maximam putamus
mali causam fuisse:« hincque etiam *maxime imputamus* or-
tum esse negligenter scribendo *maximam putamus*; ita ut
utraque lectionis varietas veluti vinculo quodam conjunga-
tur: deinde in nonnullis libris *causam* fuisse omissum, re-
tento tamen praecedente *imputamus*. Sed non sufficere sa-
tis hanc rationem fateor; et praeter alios viros doctos etiam
Bremio locus aegrotare videbatur. Profecto praescripta lec-
tio tam plana et expedita est, ut librarios, nisi aliter legis-
sent, in ea offendisse aut aliquid mutasse, paene sit incre-
dibile. Attamen nihil affirmaverim. Sive autem verum vi-
derit Lambinus, sive iudicium eum fefellerit; duas propo-
nere licitum sit coniecturas, haud eas temerarias. Igitur
una est facillima haec: *Itaque huic maximam putamus malo
causam fuisse nim. op.* Paulo quidem insolens primo ad-
spectu constructio videtur: sed Pausan. 4, 5: *Querit, causae
quid sit tam repentino consilio*, ubi cf. Intpp. Ceterum
saepissime apud veteres tertius casus ponitur loco secundi.
Altera coniectura est: *Itaque huic maximo* (ita aliquot libri)
imputamus malo fuisse nim. op. i. e. maximo malo adscri-
bimus, adponimus, vertimus; vel quod idem est: putamus
illi maximo malo fuisse, maximi mali causam fuisse: ex
quali interpretatione verba *causam fuisse* fuerint profecta.
Sine exemplo quidem dices esse formulam *alicui aliquid
malo imputare*. At probatum est genus dicendi *alicui ali-
quid imputare*; totaque formula non est insolentior, quam
aliae haud paucae in eodem Nepote, a viris doctis dudum

castigatae. Omnino ancipiti indole latinus Nepotis nostri sermo praeditus est. In universum virtutibus, quae Ciceroni laudi dantur, est ornatus: contra ea passim aperto fronte posterioris corruptionis vestigia praefert. Qui Nepotem, quem nunc legimus, relictum nobis tradidit, is in contrahendo exemplo suo non in adnectendis modo sententiis saepe in peius lapsus est, sed formulas quoque ipsas per multas pessumdedit.

Alcib. 10, 4. *Noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eamque succenderunt.* Gifanium et Schoppium sic emendantes secuti sunt alii. Sed libri: *circa Sammeum, circa sanneam, circa sammeam, circa sarmeam, circa samenam, circa samineam.* In quibus scripturis memorabilem licet verborum plurium in unum a librariis confusorum videre imaginem. *Casam* recte se habere manifestum est: *sam* in plurimis libris integrum remansit; *ca* autem ab ultima syllaba praecedentis *circa* absorptum est. Quae restant *meam, enam, ineam,* plenaque *samenam, samineam, sarmeam,* longiorem ea vocem indicant, quam *eam* Gifanii et Schoppii. Non opus est Oedipo; immo certissimus iudex oculus tibi persuadebit, in illis male multatum latere *stramineam*; quae conjectura, nescio cuius, patronum nacta est Lambinum. Scilicet quamadmodum ex *casam* fieri in libris potuit *sam,* ita ex *stramineam* potuit *ineam, armeam:* syllaba *ca* vocis *circa* absorbit syllabam *ca* vocis *casam,* syllaba autem *sam* vocis *casam* absorbit iterum syllabam *stram* vocis *stramineam.* Una littera *t,* quae in corruptelis desideratur, in illo tumultu praeda facta est Scyllae. Loquendi autem genus *casa straminea* vulgatum est. cf. Ovid. Amor. II, 9, 17. Propert. II, 13 (16), 20. Odio denique, quod veteres viri docti in Lambinum turpiter proprioque dedecori exercuerunt, factum est, ut viri summi coniectura, utpote obiter memorata ideoque a recentioribus non satis expensa, nondum exemplaria Nepotis ornet.

Datam. 6, 5. *Mithrobarzanem persequitur: qui tantum quod ad hostes pervenerat, Datames signa inferri iubet.* In Mss. et edd. vet. fere omnibus disertis verbis legitur: *Mithr. persequitur: tantum qui dum ad host. perv.*, in nonnullis ita, ut post *tantum* interpungatur, illudque praecedentibus adnectatur: quod factum esse a librariis apparet, qui ex his velut locorum angustiis salvi evadere nequiverint. Nullam judico varietatem esse, quod in uno et altero libro pro *dum* invenitur *cum*, et omittitur vel *tantum* vel *qui*: ita ut antiquorum exemplarium dicere possis lectionem esse *tantum qui dum*. Heusingerus adnotat: »An et *tantum dum* dicere licet, ut *vixdum, nondum*? Hoc vix mihi concedent plerique, sed tamen consideratione haud indignum putabunt ii, qui multa loquendi genera oblitterata esse sciunt, quae olim satis trita fuerunt.« Docte; verum hic non placet. Diverse a ceteris libris in ed. Ultraiectina excusum fertur *qui tantum non* i. e. propemodum. Egregie quidem ad sensum; quo respectu bene etiam P. Daniel et Longolius probant *qui vixdum*. Sed ex interpretatione haec profecta esse, nemo est quin videat; sin id minus, etiam ne sic quidem Nepos sanatur: aegrotat enim loci syntaxis, quum in seqq. efflagitetur *quum Datames-iubet*. Quid igitur? Lambinus, Gronovius et Cellarius legunt *qui tantum quod*, et sic ediderunt alii. Persuasum mihi est, *tantum quod* a Nepotis manu esse. Simillima enim sorte hoc exquisitum loquendi genus ignorantia librariorum in aliis quoque scriptoribus corruptum exstat. Verbi gratia Sueton. Ner. 6 pro *tantum quod* in ed. Paris 1555 et Colon. 1539 video *jam tum quidem*; quae scriptura a *tantum qui dum* nihil differt. Cf. Sueton. Octav. 98, ubi in iisdem edd. *tunc quidem*. Eadem similisve aliis aliorum veterum locis ratio obtinet. Immerito igitur Bremium de lectionis *tantum quod* veritate dubitare arbitror. Rectius Heusingerus, alioquin Lambinianam emendationem servans, insolens esse profitetur, quod Nepos non scripse-

rit: *qui tantum quod ad h. perv., cum Datames s. inf. iubet.* Nonne igitur, quum sic optime procedat oratio, sicque veteres saepe locuti sint, isto loco *cum* inseramus? Cave facias medicinam, ubi nullum est vulnus. Alias cura adhibenda est; aegrum enim locum esse, clamat mutila oratio. Latere autem — ne diutius te morer — vitium debet ante verba *tantum quod*. In ed. Ultraiectina, fortasse etiam aliis, praecedit *qui*; quod viri docti servarunt. Sed id ipsum verum esse nequit, quia non procedit oratio; desideratur enim in seqq. *quum Datames - iubet.* Praecesserat aliud, huic simillimum, quod, facta corruptela *tantum qui dum* et voce *tantum* imperite ad praecedentia reiecta, a librariis, locum non intelligentibus, necessario omissum est. Exciderunt autem verba *cui quum*, quae scripturâ sibi ipsis tantum non sunt paria (*quum* enim scribcbatur *quû* vel *cû*), quaeque in nonnullis edd. corrupta in *qui* restitere. Sic igitur procedit oratio: *cui, quum tantum quod ad h. perv., Datames s. inf. iubet.* Iunge: cui Datames signa inferri iubet. Fortasse aliquis deleto *quum* malit: *cui, tantum quod cet. welschen, er war so eben beim Feinde angekommen, Datames anzugreifen befahl.* Non vitupero hanc velut parenthesin; et fortasse haec quoque librarios diversos agitaverit: sed tamen prius magis probari arbitror. — Omnino persaepe in libris mutant *cui, qui, cum, quum, quin.* Opprimitur *cui* etiam Tacit. Ann. XII, 20 *quin arriperet oblata et servaret exsullem; cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.* ubi Codd. *quin inopi.* Bachio, qui in hoc Museo T. I p. 353 hanc lectionem defendere laborat, prius *quin* idem valere asseverans, quod *cur non*, alterum idem quod *quin etiam, ja sogar, nemo opinor assentietur*, partim quia ista ratio nimis nimisque quaesita est, partim quia orationi erga Claudium Imperatorem importunae immodestiae nota imprimeretur. Contra ea quam expeditum quamque egregium est *cui inopi*, quod Lipsio auctore a Taciti editoribus est vulgatum! *Quin*

exhortantis est, cui causam continet. Cf. Sallust. fragm. in Cottae orat. *Practerea senectus, per se gravis, curam duplicat; cui misero, acta iam aetate, ne mortem quidem honestam sperare licet.* Quod imitatur Dict. Cret. III, 21. Dubium non est, quin in, τῶ qu in Codd. adhaerens, originem debeat litteris initialibus sequentis vocis *inopi*; profectum autem hinc monstrum *cuiin* vel *cuin* sequi librariorum oportuit opinio, Tacitum scripsisse *quin*. »Sed nimirum hoc illud est, quod nostra aetate codicum lectioni vel corruptissimae inhaerere, quam certis summorum virorum emendationibus vitia tollere malunt, ut utar verbis egregii Graueri in Museo Rhen. a Niebuhrio ed. T. I p. 176.

Epam. 3, 4. *Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut p. cet.* Mss. et edd. plurimae *caruerit*. Non sine gravissima causa. Quid multa? Tu quidem meo periculo rescribas fac: *Amicorum, quorum in se tuendo caruerit facultatibus, fide* cet. Relativum *quorum* a praecedenti exitu *eorum* interiit. Atque elegantior quoque et concinnior nunc fluit oratio.

Cato 2, 2. *Qua ex re iratus, senatu peracto, privatus in urbe mansit.* Sic in Mss. legitur; sed sine sensu. Pighii coniecturam *consulatu peracto* in ordinem recepit Bremius. Atqui extra omnis dubitationis aleam positum est, quod eruit Bosius: *iratus senatui, consulatu peracto*; cui album calculum adiecit Heusingerus, alii, in textuque locus datus est. Ob syllabas *natu - latu*, litteris sonoque similes, posterius *consulatu* ab incuriosis librariis exciderat. Nihil certius.

Hamile. 1, 4. *donecum aut certe vicissent, aut victi manus dedissent.* Libri vel plurimi *aut ut certe.* Al. *aut certe*: cui lectioni plurimi viri docti patrocinantur auctoritate formulae Livianae (22, 54) *vere vincere.* Ob voculam tamen *ut*, in libris haud temere insertam, multum indulgere coniecturis, in quibus magna veri specie praedita est Lambini *aut virtute*, et Bremii *aut vitae certamine.* Verum neutrum

equidem Nepotis stilo prodiisse arbitror, prodiisse autem *aut vi aut arte*. Ecce emendatio verissima, quum ad latinitatem et sententiae pondus effectumque, tum ad codicum vestigia. *Arte* corruptum est in *certe*, littera *a* supra hiante. Centies autem in libris mutant *vi* et *ut*, quum *vi* exararetur *ui*, ex quo ob litterarum *i* et *t* similitudinem factum est *ut*. Itaque quum facies antiquissimae scripturae esset *aut ut aut certe*, deleto dein altero *aut*, quod repetitum videbatur, exiit plurimorum Codd. lectio *aut ut certe*; cui iterum vox *ut*, superflua scilicet ad sensum, postea demta est.

Hisce emendationibus animi causa adiciam prorsus similem ex Curtii Rufi lib. X, 9, 28 ed. Zumpt, quae iisdem rationibus criticis nititur, atque supra virorum doctorum iudicio propositae. Inelyto autem Curtii loco sic edebatur: *et cum pluribus corpus quam capiebat onerassent*. Niebuhrius (M. hist. u. phil. Schrift Bd. I S. 509) corrigit: *pluribus corpus capitibus onerassent*. Propius ad librorum vestigia accederet: *etenim pluribus corpus quum capitibus onerassent*. Vox *capitibus*, Niebuhrii summo ingenio restituta. desse omnino nequit; nam *capita* et *cetera membra* opponuntur: quae oppositio etiam paullo infra legitur. An vero *capiebat* ex *capitibus* corruptum sit, quaeritur. Ego suspicor, *capiebat* recte se habere, sed post illud librariorum, similitudine vocis sonoque deceptos, omisisse *capitibus*; ut sic legendum censeam: *et quum pluribus corpus, quam capiebat, capitibus onerassent, cetera membra deficere coeperunt*.

Hannib. 4, 1. *Confluxerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione Cos. eumque pepulerat. Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit; saucium inde ac fugatum dimittit. Tertio idem Scipio cet. Coniicit Ernestius Confluxerat apud Ticinum.* Contra quem recte disputat Bossius: »Huic emendationi repugnat, quod Cornelius ait *confluxerat* non *confluxit*. Hoc enim videtur innuere, id proelium ante transitum Alpium commissum esse.« Praeterea cf.

cap. 6, *1 quem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugaverat.* Verbis igitur nulla adpersa est macula. Contra ea rerum gestarum fidem contaminatam esse, dudum recte monuerunt. Gloriatur quidem coram militibus Scipio (Liv. XXI, 41), se, castris ad Rhodanum motis, equestri proelio, qua parte copiarum consequendi manum fortuna data est, hostem fudisse. Sed re vera certamini illi ipsum non interfuisse militesque suos rem male gessisse, ipsis tironibus nunc notum est. Namque Scipio, ad Rhodani ostium castris locatis, trecentos delectos equites, ducibus Massiliensibus et auxiliariis Gallis, ad exploranda omnia praemisserat (Liv. c. 26). Etiam Hannibal, trajecto Rhodano Gallisque in ripam occursantibus in fugam versis (Liv. c. 27 et 28), Numidas quingentos speculatum emittit: qui trecentis Romanorum equitibus occurrunt. Proelio atroci Romani vincuntur (Liv. c. 29). Triduo fere post, quam Hannibal ab ripa Rhodani movit, Scipio ipse quadrato agmine ad castra Hannibalis venerat, nullam dimicandi moram facturus. Ubi autem deserta munimenta videt, ad mare ac naves rediit, tutius faciliusque ita descendentem ab Alpibus Hannibali occursurus (Liv. c. 32). Cf. Polyb. III, 43 sqq. Leve quidem crimen est condonandumque scriptori, qui, rerum capita tantum secutus, Romanorum rem male gestam in ipsum ducem quamvis absentem transtulit. Similis notae est, quod in sqq. refertur, Scipionem cum Tiberio Longo ab Hannibale ad Trebiam profligatum esse; quum vel ex Livio constet, Scipionem, vulnere in proelio ad Ticinum accepto, Tiberio Sempronio Longo (hoc plenum nomen est) collegae pugnam dissuasisse (Liv. XXI, 52), Sempronium autem, avidum certaminis, spreto collegae consilio hostes proelio lacesivisse et victum a Poenis fugatumque esse. Multo autem gravius contra rerum gestarum memoriam peccatur in verbis: *Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit.* Vox *Clastidio* multum vexata est. Abest a libris

scriptis omnibus editisque plurimis praepositio *de*. Factis coniecturis (vid. Intpp.) adiungere possis hanc: *Cum hoc eodem [Cos. Scipione] apud Pad. dec.*; et hanc: *Cum hoc eodem Cos. proelio apud P. dec.* Sed vulgatam *de Clastidio*, praecunte Putcano a Lambino, Heusingero aliisque receptam, Bremius ab ipso scriptore profectam iudicat, in vita Hannibalis fontibus nobis incognitis uso. Id consentio, rectum esse *de Clastidio*, quamvis reluctantibus veterum scriptorum testimoniis; sed de reconditis fontibus quod adstruitur argumentum minus placet. Aliae in promptu sunt defensionis rationes. Nimirum Nepotem, ubi de historia quaeritur, explicaturus semper teneas et nunquam ex animo omittas, hunc scriptorem mores magis virorum depingere instituisse, quam res manu strenue gestas ordine suo enumerare, cumque ex hoc genere ea solummodo parca manu lecturis exhibere, quae ad morum imaginem declarandam requiruntur. Quod indicasse videtur ipse Nepos, volumen suum inscribens *Vita excellentium virorum*, non *res gestae*, cf. Pelop. 1, 1; idque luculenter ostendit vita Epamiondae. Hac autem mente Nepotem ne credas, ubi res gestas memoriae prodit, anxia semper diligentia veteres libros scrutasse; immo memoriter facta repetens, licet fatorum populi sui, quis dubitabit! gnarissimus, tamen, ut est ingenium humanum, negligentiae se errorisque passim reum fecit. Talium autem errorum plena est vita Hannibalis. Levioris momenti fuere quae supra proposuimus de Scipione exempla. Acrius insimulandus est noster, quod cap. 5 narrat: »Hannibalem post pugnam Cannensem contra Romam profectum esse.« Prudenter sane fecisset Hannibal, si post hanc victoriam sine mora Romam aggressus esset: id quod suaserat Maharbal, Poenorum praefectus v. Liv. XXII, 51. Sed scriptoris est, rerum veritatem sectari, non propriam prudentiam obtrudere et cogitata pro factis venditare. Contra rectam tantum non ab omnibus veteribus proditam re-

rum seriem peccatur etiam in iis, quae statim adpectuntur: »Hannibalem, quum hinc reverteretur Capuam, in agro Falerno a Q. Fabio Maximo locorum angustiis clausum esse.« Falsum etiam est et memoriae fidei contrarium, quod cap. 7, 1 et cap. 8, 2 de Magone inseritur, utpote iam ante pugnam ad Zamam defuncto v. Lib. XXX, 18. Clament interpretes, in his rebus Cornelium ex reconditis incognitisque hausisse fontibus, et fruuntur suo errore: ego aliter sentio. Verum ne de nostro loco longius te morer: miror, quod origo erroris contra rerum memoriam tamdiu viros doctos latuerit. Significari pugnam *ad Ticinum*, vel ex vulnere Scipionis palam est. Sed audiamus historiam. Hannibale Alpes transgresso, Scipio ad Padum festinavit, eoque traiecto ad Ticinum amnem castra movit (Liv. XXI, 39). Hic Romanis occurrit Hannibal, pugnaque equestri incensa Scipio vulneratus eiusque exercitus fugatus est (Liv. c. 46): pulsos Hannibal ultra Padum persecutus prope Placentiam castra communivit (c. 47). Scipio, vulnere gravis, recesserat ad Trebiam, ibique, nec vexationem vulnris ultra patiens et collegam ratus expectandum, locum, qui prope flumen tutissimus stativis est visus, delectum communiit. Nec procul inde Hannibal quum consedisset, anxius inopia, quae per hostium agros euntem, nusquam praeparatis commeatibus, maior in dies excipiebat, ad Clastidium vicum, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani, mittit. Ibi quum vim pararent, praefecto praesidii corrupto, Clastidium Hannibali traditur. Id horreum fuit Poenis sedentibus ad Trebiam (c. 48). Haecenus plus satis. Quid igitur? Ticini et Padi commutatio facilis error est. Memor denique, Hannibalem post hanc pugnam ob crescentem in dies rei frumentariae inopiam veritum esse, ne exercitus magno famis discrimine circumveniretur, hoc autem periculo facta Clastidii proditione se exemisse, Nepos rem ita narravit, quasi Hannibal cum Scipione de Clastidio

possidendo decertasset. Igitur cave credas Tzschuckio adnotanti: »An caussam illius proelii, quam alii vel ignoraverunt vel praeterierunt, sic indicavit Nepos?« Mihi vero stat sententia, istis commemorationibus omnem fidem prorsus esse derogandam. Quis tandem, exclamabis, Cornelium Nepotem, intimum illum Tullii et Attici amicum, tantisque laudibus celebratum, tot foedorum lapsuum increpare ausit! Memineris tu quidem, etiam Cornelium fuisse hominem. Atqui nonne hoc plus est, quam errare solito hominum more? Recte quidem. Neque etiam rerum singularium mirarumque captatorem fuisse Cornelium, exosum ea, quorum veritas plurimorum hominum auctoritate confirmatur, ex veterum testimoniis exque iis, quae memoriae prodidit, satis superque liquet. Ut dicam, quod sentio: gravium peccatorum si non omnium, at plurimorum saltem culpa tribuenda est non ipsi Cornelio, verum Aemilio Probo, qui in moribus ubique copiosus atque exemplo suo in pluribus ad verbum paene addictus, in rebus gestis, parce ab ipso auctore descriptis, negligentius est versatus, de Hannibale vero peius quam ullo alio duce meritus est.

Andreas Dederich.
